

Xm. 87.

M

ERNESTVS PLATNERVS
VNIVERSITATIS LITTERARVM
LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS
PANEGLYRIN MEDICAM

D. XXX. MAI I CICCC

HABITAM

INDICIT

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS.

X. VVLNERVM, QVAE IN CONGRESSIONE ET CONFLICTV FVINT,
AESTIMANDORVM CAVTIONES.

БРИАНСКИЕ ПУСТЫНЯ

АНДРЕЕВСКАЯ ПУСТЫНЬ

СИМЕОНОВСКАЯ

РОГОДНЯНСКАЯ

ПАМЯТНИК МЕДИЦИНСКОЙ

МАТЕРИ

СИМЕОНОВСКАЯ

БРИАНСКИЕ ПУСТЫНЯ
АНДРЕЕВСКАЯ ПУСТЫНЬ
СИМЕОНОВСКАЯ

Duorum rixa et contentio si alterutrius morte finitur, quamquam probabilis admodum suspicio est, eum, qui viuus discesserit, necis auctorem esse: tamen medici publici, (hos intelligo, qui vulgo physici nominantur), etiam atque etiam cauere debent, ne in huiusmodi rebus temere quippiam et inconsiderate audeant pronunciare. Etenim scriptio, quam post sectionem cadaueris exhibent, in id plerumque tempus incidit, quo reus vix in iudicium venit et nihil, neque huius confessione, neque per testes, erutum atque compertum esse potest. Ex cadauere autem hoc tantummodo intelligitur, quo vulnere mors acciderit; non qua vi ipsum vulnus. Namque perdifficilis haec diiudicatio est in laesionibus iis, quae non uno continuo ac perpetuo furore et impetu inferuntur, qualis esse solet latronis vel insidiatoris; sed, vtrinque feruente irarum aestu, inter altercandum et collectandum existunt: praesertim cum dimicatur pugnis nimirum et calcibus, atque is, qui aut vi, aut fortuna inferior est, nunc humi prostratus, nunc forte ad murum allitus, ictuum et percussionum gratitate ac multitudine conficitur et exanimatur. Ac licet in promptu sit vulnus manifesto letale: ab aduersarii violentia illud, an a casu fortuito aliquo profectum sit, recte dubitatur. Proinde si medicus publicus sententiam suam ita decla-

A 2

rat,

IV

rat, vt plagis ab aduersario acceptis necem illatum fuisse asservet: limites excedit muneris atque officii sui; quod totum laesionibus inspiciendis aestimandisque continetur. Et quod potest ille talis iudicij fundamentum habere, praeter vagos rumores et inanes auditioes? Quibus ita non decet fidem adhibere, vt omnino abhorret a prudentia et aequitate, quicquam accusatorie facere reumque, cum res vix cognita, nedum disceptata fuerit, homicidii crimine onerare atque opprimere.

Sed qui hoc modo peccant, ii mihi plerique omnes causam mortis externam cum interna, vel cogitando, vel scribendo, videntur commiscere. Igitur causa mortis interna in ipsis inest vulneribus per cadaueris sectionem declaratis: externa autem vulnerum horum erat effectrix. Illam vnam inquireret medicus publicus suoque iudicio explicare deberet: haec enim, quam externam appellamus, quandoquidem in cadavere non extat et apparet, hinc perspici nequit. Semper eas plagas excipio, quae telis et armis factae fuerunt. Ut si profundum pectoris vulnus instrumento acuto punctum inuenitur, reus autem cum gladio comprehensus est: qui hominem ab aduersario suo occisum esse diceret, tametsi causam externam pro interna commemoraret, non in magno errore versaretur. Nam sicuti de gladio constat: perinde est, causam internam, an externam, vulnus, an gladium, an aduersarii petitio nem ac vim communi causae nomine attuleris. Verumtamen cum omnino latius est, causam mortis internam separatum exponere: tum in hoc genere, de quo nunc loquimur, quoniam de externa non liquet, illam vnam volumus a medico publico indicari.

Arque vt ab illa iudicandi ac pronuntiandi leuitate tirones praeconieant: quantum intersit inter causam mortis internam et

et externam; et quam grauiter illius differentiae vel ignoratione, vel omissione peccetur, exemplo notabili nunc volo ostendere.

Miles, quanquam gregarius tantum, tamen militis nomine ac honore superbus, impiger homo ac strenuus, sed iracundus et vel ad vimbram contumeliae exardescens, ab adiutorio operario fabri lignarii, cui ebrietas multum audaciae ac licentia dederat, in caupona compellatur iniuriosius. Hunc ille sine ambage ac mora extrudit foras. Sed vespera eiusdem diei, cum forte in alia caupona conuenissent, militem, cuius ira nondum deserbuerat, homo imprudentissimus iterum incessit verbis minantibus, imo pulsibus et ictibus. Qua ille ignominia commotus et inflammatus, exuentem insequitur et, iugulo fortiter prehensum, semel atque iterum affigit in terram, capite hinc repercuesso; deinde iacentem, qui se commouere non auderet, erigit atque dimittit. Iste infractis lumbis progrediens, quanquam non leniter castigatus, ne nunc quidem cessauit conuicia et maledicta fundere. Vnde breui post denuo ventum est ad manus. Et haec tam saeva pugna fuit, quae tandem fabri lignarii pernicie desineret. Quem cum miles a tergo percussisset: pronus ille et aduersa facie in viae stratum cecidit attonitus, rigidis procumbens et extensis membris, sui non conscient, anhelans, stertens ac plane moribundus. Semianimis deportatur in domum suam. Arcessitur chirurgus, qui statim venam fecat capitique epithemata frigida imponit. Sed vulneratus non ad se rediit, et decem horis post exspiravit.

Grauem in capite plagam factam esse probabiliter significabat vomitus perpetuus sanguinisque per narres profusio: sectio cadaueris autem posthac omnino declarabat. Nam

que cutis tum in facie, tum ad occiput, passim vulnerata erat; qua incisa, totum in dextro latere interuallum, quod est inter os occipitis et os temporum, sanguine multo redundans deprehendebatur. Sub hac sede in conspectum veniebat cranii, in occipite, fractura ingens, sex pollices longa, ossis temporum partem squamosam attingens: qua os occipitis penitus penetratum esset, fragmentis non paruis ad duram matrem demissis. Vasa, tum cerebri, tum cerebelli, sanguine turgebant; cuius permultum quoque et infra crani conuexitatem, et in eius fundo stagnabat. Ac siue in pectus inciderat miser, siue aduersarii pugno ibi contusus fuerat: pulmones et vitiato colore suspecti, et multo sanguine atro tumidi conspiciebantur; quo ne lienis quidem ac mesenterii vasa carerent.

Dissecatores postridie eius diel, cum cadauer inspexerant, sententiam de hac re declarabant ad hunc modum, ut plagas illas mortemque ipsam a verberibus et percussionibus militis violentia illatis, repeterent, ideoque, hunc fabri lignarii interfectorum esse, haud obscure arguerent. Quae sententia si steriles, in extremi supplicii periculum reus incidisset. Res tandem delata est ad Ordinem nostrum, hac proposita quaestione:

Was, nach Inhalt des Vifi reperti Fol. — auch anderer, nach Ausweis der Acten concurrirende Umstände, für die eigentliche Ursache des Todes anzunehmen?

Quae intelligi causa deberet, cum his verbis non satis esset definitum: decreto Nostro nonnulla praefata sumus de differentia causae internae, atque externae; tum de vtraque seorsim disquisiuimus.

I. Cau.

I. Causa interna luctuosa erat: nam copia sanguinis in fundo cranii emissi satis ad mortem necessitatis habebat. Verumtamen aliquantum ambiguimus inter caput et pectus: quippe nonnulla inueniebantur, quae suffocationis quandam suspicionem afferent.

- 1) Sanguis a moribundo exscreta.
- 2) Cruoris in pectore copia ad sedecim vncias aestimata.
- 3) Pulmonum color vitiatus sphacelique principia non obscura.
- 4) Sanguis in corde atque pulmonibus quiescens.
- 5) Carnes circa pectus grauiter sugillatae.

Sed quoniam,

- 1) quantum sanguinis eiectum fuisset, non constabat;
- 2) sanguis in pectore effusus extra pulmones vagabatur et hactenus ad suffocationem non satis potentiae habere putabatur;
- 3) pulmonum illa quaedam corruptio et
- 4) sanguinis, tum in his, tum in corde, commoratio probabilius ad mortis effecta referebatur;
- 5) sugillationibus per dorsum diffusis nulla neque fractura, neque alia pectoris conspicua laesio respondebat.

moris causam internam ad cranii vulnus reuocandam esse intelleximus.

Tanto magis laborauimus in causa externa. De qua medicus publicus quo modo scriperit ad iudicem, dixi paulo ante.

VIII

ante. Sane permulta erant in actorum commentariis, quae huic sententiae fidem facere possent, ante actorum commentarios prolatae.

- 1) Cum maxima testium discrepantia esset: in hoc omnes consenserant, bis fabrum lignarium a milite in terram proiectum fuisse; sic ut primo tempore occiput, secundo autem, (cum aduersa facie in stratum viae lapideum procederet), anterior pars capitis allideretur. Neque ab hoc abhorrebat ipsius rei confessio. Ergo illud capitis vulnus, de quo supra dictum est, culpa militis extitisse videbatur.
- 2) In utroque illo ictu et lapsu probabilis causa inerat laetionum ac symptomatum omnium; adeo ut non solum vulnus et fracturam, sed etiam, in cerebro, vasa turgida et sanguinis profusionem, soporem, ipsam denique mortem hinc facile deduceret.

Sed haec rationes, et si multum apud Nos momenti habebant: aliarum grauitate superabantur. Etenim

- 1) Testes, quantumvis integri et veraces, nullo pacto scire poterant, ad cranii fracturam, ille militis imperus, quo faber lignarius in terram prociderat, an fortuita contusio aliqua et prolapsio, valueret. Namque in tali rixa, ubi pugnis contra pugnos decertatur furorque animum et corpus occupat, nihil frequentius est, quam pugnantem, nunc incurendo, nunc offendendo ac labendo, etiam grauiter nonnunquam, se ipsum vulnerare. Tanto id verisimilius videbatur, quia faber lignarius manifeste ebrius erat. Ebrietate autem caput aggraui.

grauari, totamque corpus instabile atque ad casum pronius fieri, nemo ignorat.

- 2) Cranii fractura non immēdicabilis erat ipsa in sese, sed propter sanguinis in fundo cerebri effluvium. Enim uero etiam in hoc temulentiae multum existimabamus tribui oportere; quippe quae sanguinis in capite motum tanto vehementius intendere potuisset vasorumque perrumpendorum et omnino apoplexiac causas accelerare.

His in utrumque partem ponderatis argumentis, et cum de hominis salute ac vita disceptaretur, causam mortis externam incertam esse respondimus; adeo ut, quid militis violentia commissum fuisset, plane non decerneremus.

B

Scriptiun-

Scriptiunculam hanc, Rector Academiae Magnifice, Illusterrimi Comites, Vtriusque Reipublicae Proceres Grauissimi, Generosissimi Humanissimique Commititones, publicam ego ac solemnem Vobis nuntiam misi; quae certiores Vos faceret de Ordinis Nostri decreto, per quod iura et ornamenta Doctoris Medicinae collata nuper fuerunt.

V I R O E X P E R I E N T I S S I M O
A T Q V E
D O C T I S S I M O
F R A N C I S C O F R I D E R I C O R O E B E R O
I L L E B V R G E N S I.

Quem nunc cum amplissima significatione in Vestrum conspectum adducimus. Natus est A. c^occclxxiv. patre Christiano Theophilo, Chirurgo militari primario, Viro Experiensissimo; matre Friderica Constantina. Parentes, quorum in se educando diligentiam ac fidem gratius praedicat, puerum primum domesticis magistris tradiderunt; deinde in Boettgeri et, cum pater propter maneris sui rationem per annum lxxxvii. Dresdæ cominoraretur, in Lipsi, Ser. El. Bibliothecarii disciplinam; potiremo hic Lipsiae in lyceum Nicolaitanum commiserunt, cuius maxima, in primis per Forbigerum, de se merita extare ait. Ita eruditus ad omnem humanitatem, Anno lxxxvi. academie nostrae ciuis factus est, Rectore Beckio. Hunc eundem, quem etiam, ut Wenkium, in historicis audiuit, et Ernestium in litteris graecis atque latinis magistrum habuit; ad quae studia multum a Rueffero, scholae Sorauiensis nunc Rectori, et incitamenti, et adiumenti haberet. In dialectice Caesarem secutus est. Meis autem acroasisbus philosophicis omni-

omnibus, sive dialecticen ac metaphysicen sive ethicen atque aestheticen illustrarem, magna cum assiduitatis constantia interfuit. Mathefin ac physicen ei tradidit Hindenburgius; historiam naturalem ac zootomiam Ludwigius; botanicen b. Hedwigius, chemiam Eschenbachius. Anatomes magister ei contigit Haasius, Ordinis Nostri Senior Grauissimus, et Fischerus nunc Professor Kiloniensis. Anthropologiam et physiogiam a me accepit, materiam medicam ab Hebenstreito et Kochio; pathologiam et therapiam generalem ab Hebenstreito; particularem ab eodem et a Kochio; quem posteriorem etiam curationes morborum animaduersione dignas enarrantem et illustrantem audiuit. Et cum chirurgiam, cuius ei singularem amorem patris exemplum instillasse, summo studio amplectetur, quanquam vnius patris institutio sufficere poterat: tamen non solum Eckoldi curationibus assidue interfuit in nosocomio publico, sed etiam se dedidit in societatem chirurgorum militarium, ita ut ipse chirurgi militaris munus per quinque annos gereret et, cum exercitus A. LXXXVI. in expeditionem educeretur, in nosocomio castrensi stipendia ficeret. Quod ei hoc maximum commodum peperit, ut in anatomie et chirurgia Hedeni, in arte obstetricia Weissii institutione, tanto liberius vteretur horumque virorum curationes obseruaret. His omnibus magistris suis gratissimum animum spondet. Hoc anno, postquam in primo colloquio tentatus esset, Baccalaurei ornamenti ei contulimus; tum altero colloquio, ad quod recitationibus publicis: de febre puerperiarum: viam sibi parasset, veniam consequitus est capessendi summi in Ordine Nostro honoris. Itaque d. XXX. Maii disputationem publicam habuit super libello suo: Vtrum mephiticus aër, in morbis putridis, salutaris sit an noxius: Praeside Viro Excellentissimo atque Experientissimo, Christiano Gottholdo Eschenbachio,


Philos.

Philos. et Med. Doc. Chem. P. P. O. Ord. Med. Assessore,
Collega Carissimo. Atque eadem die, solemini ritu, factus est Li-
centiatus, tum Doctor creatus et publica tabula declaratus.

P. P. Dom. V. p. Trinit. a. cccc.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAUBARTHEA.



26n 598

(1443)

ULB Halle
002 043 564

3





56

6028

hc







ERNESTVS PLATNERVS

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

D. X X X. MAII C I C I C C C

HABITAM

INDICIT

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS.

X. VVLNERVM, QVAE IN CONGRESSIOINE ET CONFLICTV FVINT,
AESTIMANDORVM CAUTIONES.